



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Censvra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Galat. 5.

atitudinis effectus uarij sunt, sic & incredulitatis, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis &c.

missas. precib.

Augustinus de uerbis domini, Serm. 40. Dominus & saluator noster, hoc unum peccatū dicit, de quo arguit mundum spiritus sanctus &c. hoc unum imputari uoluit, quo cætera colliguntur. Idem Ioannis 15. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisq; si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea uenit ut credatur in eum. Idem: Credant itaq; homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccato omnia detinentur. Possent hic dicere ea, quæ corrugarent Monachos, nares, omnia eorum opera sine fide facta, Missas, preces, murmur, mera esse peccata mortalia, quia non sunt contenti uno peccato mortali, quasi non sit satis efficax hoc unum ad eorum condemnationē, nisi sint plura. Nec uideo qui possit fieri, ut ex septem dæmonibus, septem fiant peccata mortalia, cum per ea etiam ipse Gregorius uniuersa uitiorum genera intelligat. Proinde peccatum mortale, est dignū morte æterna, atqui sola incredulitas est tale peccatum (qui non crediderit, iam condemnatus est) Cæterum quilibet peccauerit aliquis, si credit sua peccata remitti per Christum, saluatur.

PROPOSITIO XXX.

Cur soli fidei tribuitur iustificatio? quia Deus non alia ratione saluat te nisi fide.

CENSURA.

AB Orthodoxis non soli fidei tribuitur iustificatio, a Matthæo uerbis, a Paulo factis, a Iacobo operibus. **Condemn.**